

HEINRICVS I. IMPERATOR.



HEINRICUS ille filius fuit Othonis prudētissimi Saxoniae ducis, quē Germani proceres post defunctum Ludouicum Arnolphi Cæsaris filium, eumq; à Caroli magni stirpe ultimū, regem nomi- nabant, quod frater esset Luitgardæ uxoris Ludo- uici, quæ prole caruit, & quod insuper esset vir stre- nuus, qui Dalmatas & Hungaros superauit & fudit. Cum autem is ob senectutem regium munus assu- mere recusabat, alijs author fuit, ut Conradus Fran- coniae dux rex inungereſ. Hic inquam Otto Hein- ricum Cæsarem & Brunonem ducem genuit. Cum itaq; Conradus aduersa semper ualitudine nitere- tur, atq; septimo Imperij anno supremū diem ades- se cerneret, omniq; prole careret, Germaniæ proceres conuocauit, atq; maxi- mis precibus, intermixtis etiam lachrimis (ne amore regnandi, ambitione q; dissidium in Imperio fieret) petiſt, ut Heinricus Othonis ducis Saxonum fi- lius, cuius beneficio ipſe prius Augustus salutatus, rex crearetur.